Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

ubi erant discipuli congregati propter metum iudeorum: venit ihesus et
stetit in medio et dixit eis. Pax vobis. Et cum hoc dixisset ostendit eis ma-
nus et latus. Gaudebunt igitur discipuli viso domino. Dixit igitur eis
iterum. Pax vobis. Sicut misit me pater et ego mitto vos. Hoc
cum dixisset insufflavit et dicit eis. Accipite spiritum sanctum. Quorum remi-
seritis peccata remittuntur eis et quorum retinueritis retenta sunt.
Thomas autem unus ex duodecim. Diuisio. Evangelij.
qui dicitur didymus non erat cum eis quando venit ihesus. Dixerunt igitur
ei alij discipuli. Vidimus dominum. Ille autem dixit eis. Nisi videro in
manibus eius fixuram clavorum et mittam digitum meum in locum
clavorum et mittam ~~manum~~ manum meam in latus eius non credam.
Et post dies octo rursum erant discipuli eius intus et thomas
cum eis. Venit ihesus ianuis clausis et stetit in medio et dixit. Pax
vobis. Deinde dicit thome. Infer digitum tuum huc et vide
manus meas ~~meas~~. et affer manum tuam et mitte in latus
meum et noli esse incredulus sed fidelis. Respondit thomas et
dixit ei. Dominus meus et deus meus. Dicit ei ihesus. Quia vidi-
sti me credidisti. Beati qui non viderunt et crediderunt. Multa
quidem et alia signa fecit ihesus in conspectu discipulorum suorum que
non scripta sunt in libro hoc. Hec autem scripta sunt ut credatis
quia ihesus est xpus filius dei et ut credentes vitam habeatis in nomine ipsius.
Xpus passus est pro vobis. Dominica. v. post octauam pasche. Apostolus
relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius.
Qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore eius. Qui cum
maledicetur non maledicebat. Cum pateretur non comminabatur.
Tradebat autem iudicanti se iniuste. qui peccata nostra ipse pertu-
lit in corpore suo super lignum ut peccatis mortui iustitiae viuamus.
cuius livore sanati estis. Erratis enim sicut oues errantes sed conuersi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum. Ioh.